



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

**Torres, Francisco de**

**Coloniae, 1573**

**VD16 T 1629**

Cap. XVIII. Responsio ad ea, quae Magdeburgen. obijciunt contra doctrina[m] de confessione secreta. De loco Psal. Delicta quis intelligit, quomodò eum veteres interpretati, & quomodò Paulus imitatus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29685**

*Lex confiten-  
di contra li-  
bertatem est  
non spiritus,  
sed carnis.  
Iud. 1.*

*2. Pet. 2.*

ipsis sumperant propter speciem peccati grauis, in quo incestum illū non vitauerāt. Est quidem, fateor, hæc lex euangelica & apostolica confitendi iniquitates, in specie contra libertatem: sed quam libertatem? carnis scilicet, quam vos Lutherani amatis, qui, sicut Iudas Apostolus de alijs vestris similibus scripsit, gratiam in luxuriam transfulistis. Videamus ergo, an hoc tacuerit beatus Petrus, vbi de illis quoq; vestri similibus scripsit, quorum sermone & hortatu ad vitia pristina redibant, qui illa prius veluti per vomitionem confessionis secretæ purgauerant. Sic enim ait: Superba vanitatis loquētes, pellicunt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis.

*Responsio ad ea, quæ Magdeb. obijciunt contra doctrinam de confessione secreta. De loco psal. Delicta quis intelligit, quomodo eum veteres interpretati, & quomodo Paulus imitatus, & interpretatus sit. Item de interpretatione loci Pauli, Quod enim operor, non intelligo, ex Methodio Martyre.*

*Cap. 18*

*Psal. 13.*

*Hieronym.  
Quomodo il-  
lud psal. De-  
licta quis in-  
telligit? vete-  
res interpre-  
tati sint.*

*Theodoretus.*

*Augustinus.*

*Cassiodorus.*

**S**ed quoniam quod vos Magdeburgenses in Centuria vestra secunda scripsistis, laqueum conscientijs injici lege secretæ confessionis, neque tamen, quomodo laqueus injiceretur, explicastis, id autem alij ex vestris condiscipulis ita probant, quia dicat Propheta: Delicta quis intelligit? quod tum in libris suis, tum apud auditores, quos decipiunt, inculcare solent, necessè est, vt hunc locum non prætereamus. Errant enim magistri Lutheranorum, non intelligentes scripturam, neque virtutem eius: siquidem alia sunt peccata, quæ confiteri necessè est, quæ cognosci possunt: & alia quæ non possunt, & idè neque confiteri necessè est. παραπτώματα ergo, quæ interpres Latinus delicta vertit, nos lapsus dicere solemus, aiunt (inquit Hieronymus in epistola ad Ephe. cap. 2.) esse initia peccatorū, cum cogitatio tacita subrepat, & ex aliqua parte conuiuentibus nobis, nondum tamen nos impulit ad ruinam. Delicta itaque, ait Propheta, quis intelligit? quia scilicet, vt ait idem Hieronymus, difficile sit, initia & radices peccatorū intelligere. peccatū verò aiunt esse, (ait idè) cum quid opere consummatū peruenit ad finē. Et Theodoretus eundē locū Prophetæ interpretans, Delicta, inquit, quis intelligit? Etsi enim vehementer studuero mādata Dei seruare, ad multa tamen præter voluntatem naturali infirmitate trahor: & alia per ignorantiam committo, aut propter circumstantiā alicuius necessitatis. Et quanuis, inquit, peccata ipsa, turpesque actiones declinem, cogitationes tamen me polluunt: idcirco te imploro, qui purgare potes. Item August. Rogo, inquit, te Domine, quoniā delicta quis intelligit? nè mihi vt homini, quædam surrepant: & quibusdam, vt homo præoccupet. Rursus Cassiodorus explanans, quæ sunt illa occulta & latentia, quæ dicit Propheta non

non posse intelligi, quæ (inquit) ita pullulant, atq; surripiunt, vt ante effectum rei multis celata videantur, monente scriptura, Nè eas post concupiscentias tuas. Sic igitur tum hi, tum reliqui veteres interpretes tam Græci, quam Latini, nè omnes enumerem, delicta, quæ Propheta dixit non posse intelligi, interpretati sunt, vt sint hoc loco παραπτώματα, iuxta etymologiam verbi, quasi ἀπὸ πτώματος νόμου παρά γνώμην, id est, lapsus à lege præter voluntatem, vt iam necessè sit, aut omni culpa vacare ista, vt sunt tum cogitationes, quæ interdum, nobis etiam nolentibus, excitantur: tum naturales concupiscentiæ, quibus vnusquisq; tentatur: aut maculas esse humanæ infirmitatis, (quæ peccata venialia vocant) ex illis cogitationibus citra consensum perfectum per improuisam surreptionem natis: quibus vt nemo semper carere potest, ita non necessè est ista confiteri, tametsi vtile esse negare non licet. hæc enim sunt, de quibus beatus August. in Enchiridio cap. 71. ait: De quotidianis autem breuibus, leuibusq; peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. eorum est enim dicere, Pater noster, qui es in cælis, qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua & spiritu S. delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Hæc pater August. de ijs loquitur, qui gratiam regenerationis retinent, quorum oratio Dominica, qua petunt sibi dimitti peccata secundum institutionem Domini, ex ea charitate proficiscitur, vt quodcunque ex leuibus & quotidianis commissis peccatis in mentem veniret, eos poeniteret. hæc enim sunt, quæ illis tunc sic orando remittuntur. alia sunt præter orationem Dominicam, & præter confessionem leuium peccatorum remedia, de quibus nõ est nunc differendi locus. Hæc tantum aduersus eos attingi, qui, vt confessionem tollant, illud prophetæ, Delicta quis intelligit, de peccatis mortalibus, quæ necessariò confitenda sunt, falsò interpretantur. Sed nè quis vestrum iam dicere audeat, non esse sic intelligendum Prophetæ locum, quem vos de peccatis maioribus malè interpretamini, habemus Apostolum qui hunc Prophetæ locum imitatus, huiusmodi cogitationes & naturales cupiditates, mala & peccata vocat, quæ se ait non posse intelligere, cum ait in epistol. ad Roman. Quod enim operor, non intelligo: deinde subiungit: non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Notauit autem hunc locum Apostoli cum propheta collatum, & interpretatus est Magnus Methodius, disputans contra Aglaophontem Origenistam in lib. 2. Epiphani. tom. 1. heresi 63. Nam quod dictum est, inquit, quod operor, non intelligo, & facio quod non volo, non de eo, quod operati sumus ac perfecimus malum, accipiendū est, sed de eo, quod solum cogitauimus, cogitationibus, quæ non conueniunt, sæpè nobis aduolantibus, ludificantibusq; nos in ijs, quæ nolumus, dum anima cogitationibus circa multa circunducitur. non enim in nobis situm est cogitare, aut non cogitare absurda, sed vt, aut non vt cogitatis. Prohibere enim non possumus, quin incidant nobis cogitationes, quæ ad probationem nostram extrinsecus afflantur:

Eccles. 18.

Apost. in epist.  
ad Roma, est  
imitatus locum  
psal. delicta  
quis intelligit

Rom. 7.  
Methodius in  
locum Pauli,  
quod enim  
operor, nõ in-  
telligo.

non assentiri autem, siue non uti ipsis, possumus. Quomodo enim Aposto-  
 lus malum, quod displicebat, fecisset? & bonum, quod placebat, minime?  
 nisi loqueretur de cogitationibus non legitimis, quas cogitamus interdum  
 etiam nolentes, & unde ortas, nescientes, quas euertere & reprimere oportet,  
 ne propagatae, terminos animae occupent. fieri enim non potest, ut in  
 nobis ortum capiat virtus, si istis opportunum tempus detur. Recte igitur  
 dicebat, quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo, facio: sed  
 quod odi, hoc ago: Volumus enim non cogitare ea, quae non conueniunt, &  
 quae fas non est: quando quidem hoc est perfectum bonum, non solum a fa-  
 ciendo abstinere, sed a cogitando: & quod volumus, hoc bonum non effi-  
 citur, sed quod nolumus, malum. Veniunt enim in cor nostrum saepe, etiam  
 nobis inuitis, infinitae de rebus infinitis cogitationes, quae nos curiositate  
 vana implent. Quamobrem velle quidem cogitare ista, adiacet: efficere au-  
 tem, ut deleantur, & non rursus redeant, non est in nostra potestate, ut dixi,  
 sed uti ipsis, aut non uti: ut sit hic sensus eorum, quae Paulus dixit: Non enim  
 quod volo bonum, facio: siquidem volo non cogitare, quae nocent mihi:  
 hoc enim bonum est, & omnis reprehensionis expertus, & quod prouerbio  
 dicitur, quadrangulum manu & mente factum, quod ex nulla parte reprae-  
 hendi possit. atque hoc quidem bonum, quod volo, non facio: quod autem  
 nolo, malum ago: nolo cogitare, & cogito, quae nolo. Ac considerandum est,  
 utrumne precaretur David Dominum propter huiusmodi cogitata? quod  
 & ipsi molestum esset cogitare quae nollet, cum aiebat: Ab occultis meis  
 munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc  
 immaculatus ero, & emundabor a delicto magno. & ipse Apostolus in alio  
 loco: Cogitationes, inquit, destruentes, & omnem altitudinem extollentes  
 se aduersus scientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum in obsequium  
 Christi. Si vero quis huic sermoni cominus occurrere ausus, responderit,  
 docere Apostolum, non solum in cogitando esse malum, quod odimus &  
 quod nolumus, sed in faciendo, quia dictum sit: non enim quod volo, fa-  
 cio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Si vera dicit, qui haec dicit, ro-  
 gabimus eum, ut explicet, quid mali erat, quod Aposto. oderat: quod face-  
 re quidem volebat, faciebat tamen: & bonum, quod volebat facere, & non  
 faciebat: sed contra potius, quoties volebat facere bonum, non bonum, quod  
 volebat, sed malum, quod volebat, faciebat. nunquid cum nollet idola co-  
 lere, sed Deum, hoc quod volebat, id est, Deum colere, non poterat? quod  
 vero volebat, id est, idola colere, hoc poterat? aut castus esse, quod volebat,  
 non poterat? & impudicus esse, a quo abhorrebat, poterat? & denique ut  
 summam dicam, crapulae, luxuriae, irae, iniuriae, & reliquis maleficijs, quae  
 volebat, operam dabat: quibus autem volebat, iustitiae, sanctitati, non da-  
 bat? Atqui ipse in ecclesijs cunctos ad non violandam legem hortatorie ex-  
 citans, non solum eos, qui turpia committunt & faciunt, ad interitum &  
 iram seruari affirmat, sed eos etiam, qui illis assentiuntur: contendens iusti-  
 tiam

Psal. 18.

2. Cor. 10.

Rom. 2.

tiam sine admixtione peccati exerceri: omne enim peccatum & peccati studium, carne perficitur. Hæc Methodius, & quæ sequuntur nē omnia ē Grego, conuertam. quæ factis declarant, quæ sint illa delicta, quæ Dauid propheta ait non posse intelligi, de quibus subiungit idem propheta, Ab occultis meis munda me domine: occulta enim & latentia vocat, quæ prius dixerat non posse intelligi, vt Paulus quoque dixit, Prophetam imitatus. Quæ si non dominata fuerint, dominantur autem, cum illis malis cogitationibus vtimur assentiendo: tunc, inquit, emundabor ἀπὸ μεγάλων ἁμαρτίας, id est, à peccato magno. magnum enim peccatum vocauit, quod nos mortale dicimus. Vt iam hæc sint, quæ & intelligi possunt ad declinandum: & si admissa fuerint, intelligi debent ad confitendum. qualia sunt, quæ proximè ex epist. Pauli recitauimus, quæ aditum regni cælestis prohibent, & quæ Dominus in euangelio dixit ex corde exire, & inquinare hominem, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias. quæ si non necesse esset confiteri in specie, nec cognosci, & nisi de eiusmodi confessione peccatorum in specie Apostol. Ioan. dixisset, cum dixit, si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, nunquam profectò Dominus in euangelio species peccatorum enumerasset: neq; Apost. Paulus idē in epistolis suis fecisset. Hactenus de apostolica doctrina confessionis in epist. Clementis, quam doctrinam ecclesia catholica per cunctum Orientem & Occidentem profitetur, cuius doctrinæ Apostolicæ multi alij cum Clemente testes sunt.

Psal. 18.

Matth. 15.

doctrina apic.

*stolicæ de confessione, multi alij cum Clemente sunt testes, Diony. Areopag. in eccl. hier. ca. de piæ defuncti, in epist. ad Demophilum. Irenæus lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 9. Tertull. in libro de prescrip. Cyprianus sermo. 5. de lapsis, & lib. 3. epist. epistola 18. ad clericum. Athanas. in serm. super illud, Ite in castell.*

*Responsio ad reprehensionem de reliquijs corporis Dominici summa religione custodiendis, & de anathemate beati Petri in custodientes eas negligenter: & in eos, qui pallam, quæ corpus Domini tetigit, ad alios vsus transferunt: & quomodo ista contra scripturam Magdeburgen. reprehendant.* Cap. 19.

Ed transeamus ad alia, quæ deinceps in eodem loco Magd. ad traditiones quoq; humanas, quas fingunt, retulerunt, vt de reliquijs, inquit, fragmentorum post cœnam Domini. ] Si isti nobiscum, & cū vniuersa ecclesia Orientis crederent, esse extra vsu sacramenti Eucharistiæ corpus Christi, vt patres & maiores eorum semper crediderunt, quicquid ad corporis Christi honorē & cultum, ac religionē pertinere videretur, æquè piè ac libenter amplecterentur. neque dubitassent vnquam, quin ecclesiastica consuetudo reliquias corporis Dominici in sacrario summa religione & diligentia custodiendi, Apostolorum insti-

tutio-